

asp

11

no

1814

Q. D. B. V.

D E

CAVSSIS

VARIANTIVM LE-  
CTIONVM SCRIPTVRAE S.

NOVI TESTAMENTI

AMPLISSIMI SAPIENTVM ORDINIS  
CONSENSV,

DISPVTABVNT

PRAESES

M. CHRISTIANVS Süder,

REV. MIN. CAND.

E T

RESPONDENS

DANIEL GOTTLÖB MÜLLERVS

S. S. TH. STVD.

CHEMNITIO-MISNICK.

---

AD DIEM XXI. IVNII MDCC XXX

---

LIPSIAE,

LITERIS TAKKIANIS.





## PROEMIVM.

### §. I.

**I**am suo tempore Patres in Codicibus Noui Testamenti varias lectiones inuenisse, dubium non est, cum Origenes, Tertullianus, Ambrosius et Hieronymus earum saepe iniiciant mentionem. Nemo tamen ante seculum XVI. data opera eas collegit, ut ex illorum discimus scriptis (a) qui industrios uariantium lectionum collectores laudauerunt. Nulla unquam obliuio delebit seculi illius memoriam, dum non solum doctrina a sordibus & squalore fuit repurgata, sed literae etiam humaniores, quae tenebris sepultae iacebant, nouo surrexerunt splendore, unde factum, ut linguae cum arte critica maiori quam antea, studio atque industria colerentur. Non autem in profanis tantum autoribus explicandis uersabantur eruditi, sed ad sacrum etiam textum accedebant, & plures postmodum, in sacrae ueritatis praesidium, discrepantias in Nouo Testamento omnium oculis exponebant. Maiori tamen opera ac labore nulla aetate collectae fuerunt uariae lectiones, quam praesenti seculo, ubi immensum Ioannis Millii laborem, & congestam ab eo incredibilem uarietatum multitudinem Ludolphus Kusterus (b) et Ioannes Clericus suis nec contemnendis accessio

nibus (c) locupletarunt, uariaque etiam attulerunt in medium eruditi, quae quidem ad expediendam de uariante lectione tractationem pertinere uidebantur.

(a) Millius in Prolegom. p. 107. et postea passim, Editor cel. Noui Testamenti quod Amstelod. MDCCXI. prodiit, qui sub his G. D. T. M. D. (et secundum Pfaffium in Dissert. de Genuinis Noui Testamenti lectionibus p. 114. atque Pritium in Introduct. ad lectionem N. T. Cap. XXX. p. 288. illustris Gerhardus van Maastricht est) latet in Prolegomenis. Ipse tandem Pfaffius laudata Dissert. Theolog. quae prodiit Stutgard. MDCCXX. (b) in Praefatione, quam praemisit Millii Nouo Testamento Amstelod. & Lipsiae MDCCXX. (c) in Epistola, quae Praef. Kufferi sequitur.

§. II.

Plurima autem, quae de uarietate lectionum in Nouo Foedere dici possunt, nobis uidentur ita posse diuidi, ut partim in earum origines curate et diligenter inquiramus, partim etiam, quae ad eas diiudicandas scitu sunt necessaria, studiosè exponamus. Nos in praesentia dabimus operam, ut causas uariantium lectionum ostendamus, & fontes, ex quibus dimanarunt, aperiamus, illam de examine earundem tractationem alia forsitan, si Deo immortalis iustitiae uisum fuerit, occasione subiuncturi.

§. III.

Antequam uero ad rem ipsam uenimus, non prorsus a proposito alienum uidetur, uarias eruditorum de uariantibus lectionibus sententias recensere, et, quantum quidem per ingenii uires fieri poterit, examinare. Sunt enim, ut inde repetamus dicendorum initium, qui cum Iacobo Gordono Huntlaeo (d) Ioanne Morino (e) Pontificiis et Antonio Collino (f) Anglo uariantes lectiones corruptionis scripturae sacrae testes esse uolunt. Quorum tamen ab opinione merito discedimus, quod, si discrepantias contemplerur, patet, uariare quidem, non autem corruptam esse ac depravatam lectionem, quando nulla inuenitur in plerisque cum mente sanctorum amanuentium pugna, nec contrarius sensus, sed potius in discrepantia uerborum admodum exigua idem, et sanus, scripturaeque sacrae conformis relinquitur. Iuuat hic in partes uocare b. Pfeifferum (g) qui *plerasque uariantium lectionum ita esse*

esse comparatas, ut sensum non uariant, et sicubi uariari uideatur, nullibi tamen esse contradictorium & analogiae fidei oppositum, affirmat. Neque praeterire possumus Danielis Whithy(h) seduli uariantium lectionum scrutatoris, sententiam, qui, sunt quaedam, inquit inter uarias lectiones, maioris momenti et ponderis, quae sensum uerborum adeo mutant, ut textum uere alium exhibeant, sed paucas esse tales, Deum celebrat, easque excutit diligenter atque examinat. Neque sine causa et fundamento integritatis uerbi diuini defensores respondent, uariantes lectiones testari potius, saluam esse scripturam sacram & sine corruptelis conseruatam. Id potius suspicionem deprauatae scripturae iniiceret, si in tenebris adhuc iacerent uarietates et omisae essent, quia tunc ignoraremus, an haberemus ueram. At uero collectis iam discrepantiis, certi esse possumus, inter eas ueram atque a Spiritu sancto profectam lectionem remansisse, quoniam nullo unquam tempore facta fuit uniuersalis omnium Codicum corruptio, nec fiet unquam, quamuis quidam Codices uariis modis sint deprauati. Vt uero eo felicitus res hic cadat et uera possit indagari atque inueniri lectio, quae ui atque efficacia, Scripturae sacrae insita, moueat animos et percipiat, de normaue fidei ac morum infallibili nos conuincat, colligendas esse uarias lectiones, quanto fieri potest studio, ingenue confitemur, et plane sentimus. Recte Millius (i) *Haud certius, inquit, ad genuinam et archetypam Apostolorum dictionem perueneris, quam ex huiusmodi lectionum συλλογῆς suae collationibus Graecorum Codicum.* Quamuis etiam ille atque alii, qui congerendis uariis lectionibus operam impenderunt, magnum prodixerint atque incredibilem (k) numerum, illud tamen nescio, an cum quibusdam ualde mirer, cum ingens sit ἀριθμῶν multitudo et sigillatim Millius non Codices tantum sed Patres etiam ac uersiones et alia adhibuerit subsidia. Multae euanescent iterum uarietates, cognita earundem causa, explorata indole, et, ut uerbo rem complectar, examine recte instituto.

(d) Quem citauit et confutauit Glassius Phil. Sacra libro I. Traët. II. de integritate et puritate textus Graeci in N. T. (e) uide Millii Prolegom. p. 140. num. 1322. (f) Pfaff. in Dissert. Praef. p. 4. not. (a) (g) in Thesauro Hermeneut. Cap. II. §. XXXI. p. 54. ubi uide etiam Hypomnemata, (h) in Examine

Variantium Lectionum Ioannis Millii Londini MDCCX. Part. operis p. XI, et Lib. II. Cap. I. p. 28. seqq. (i) in Prolegom. p. 143. num. 1335. (k) Multitriginta millia numeravit Collinus apud Pfaff. Dissert. p. 4. not. a et alii. Si quis secum pensauerit, Nouum Testamentum prae omnibus fere libris saepissime descriptum fuisse, & mondas, quae in exemplar aliis quod sorte irrepserant, religione quadam (quod alibi non obtinet) retentas et propagatas, adeo longe aberit, ut caussetur, tot sphalmata mille et septingentorum fere annorum decursu cumulata, ut potius mirari par sit, tam pauca saltem, alicujus momenti, interuenisse. Praesertim cum, e vulgo quibusuis, calamo pariter et manu profanis permixtum fuerit sacra ista tractare etc. sunt uerba ex Praef. Nouo Testamento Oxonii MDC LXXV. edito praefixa, quae inuenitur in Gerhardi van Maffricht editione Noui Testamenti.

§. IV.

Inde uidemus magno eruditos affirmare consensu, pauca esse uariantes lectiones, ponderis alicuius et momenti. Dabimus hanc in rem Danielis Whitby, Millii et Dupinii uerba, iste quidem dicit, uarias lectiones, quae morum regulam, aut fidei articulum, uel unicum respiciant, uix ullas esse, quae sensum uerborum in re momenti alicuius mutem paucissimas. (l) Idem fatetur Millius his uerbis (m) In his articulis fidei, Codices omnes conueniunt, etsi forte locus aliquis, qui summi momenti esse uidetur, uni, alteri, seu etiam quamprimum Codicibus exciderit, id quod non nisi in uno loco factum est, quod uiderim, nempe I. Ioan. V. 7. idem tamen quoad sensum alibi inculcatus occurrit, ut proinde neutiquam inde periclitetur Christiana ueritas. Ita etiam Dupinius loquitur, esse uarias lectiones haud paucas ex editione Noui Foederis Oxoniensi etiam oculis pateat, eas autem omnes paruisane momenti esse, et ex parte potissima librorum uitia, uel minutissima *καρποειυατα*. (n) Ipsi denique Pontificiis, unum modo, cum possemus plures, ex consortibus, Sixtum scilicet Senensem, meliora edoctum, iure meritoque opponimus, cuius ego quidem uerba ex b. Gerardo (o) cum beneuolis lectoribus communicabo. Ille uero, *Euangelicae*, inquit, *lectionis ueritas, quae in singulis et particularibus Ecclesiae Codicibus, pro temporum et scribentium diuersitate, uariata fuerat, in omnibus simul collectis exemplaribus integra semper et incorrupta perman-* se,



fit, ita uolente Deo, ut uerae lectionis integritas, quam hominum uel negligentia uel malitia corruperat in partibus, in tota saltem Ecclesiasticorum Codicum uniuersitate seruetur, ne Ecclesia Christi per aliquod tempus diuinarum scripturarum integritate careret, utque haberent semper pii et eruditi uiri, unde corrigere et emendare possent, quod aut inscitia aia iniquorum perfidia uitiasset, facta multorum inter se exemplarium collatione. Neque ex eruditis alii defunt, qui uarias lectiones nocere Scripturae sacrae recte et confidenter negant.

(d) Praef. p. IX. (m) Prolegom. p. 143. num. 1335; (n) uid. Whitby Praef. p. IX. ubi locum Dupinii ex eiusdem Historia Canon. et Scriptorum V. et N. T. Vol. II. §. VI. p. 110. affert (o) in Conf. Catholica p. 109.

§. V.

Deprehendimus etiam sententiarum de uariis lectionibus diuersitatem, aliis quidem earum numerum incredibili labore ac studio augmentibus: (p) aliis contra minuentibus (q) atque optantibus (r) ut uel nullae essent uel paucae admodum, imo etiam quibusdam dissimulantibus (s) uarietatem lectionis in Nouo-Instrumento. Si ex ratione praesentium temporum de illis iudicium fit ferendum, qui, coaceruare in immensum numerum uarias lectiones, cupiunt, nobis quidem illi uidentur, operam inutilem nauare, dum uasta iam prostat Millii collectio, nec credibile est, sapientem benigni Numinis prouidentiam permisisse, ut adhuc sit quaedam uera lectio reliqua, a tot piis sedulisque uariantium lectionum scrutatoribus non obseruata. Vnde nescimus an cel. Pfaffii sequamur sententiam, eiusque repetamus uotum (t) quando uir doctus optat, ut adhuc numerus uariarum lectionum esset maior, et ut etiam haberemus collationes ex aliis adhuc Codicibus antiquioribus, qui nobis ad manus sunt, praesertim cum eos Codices nos indicet, et uix persuadeat lectori, Millium, Kufferum, alios, non omnes Codices contulisse, qui ipsis quidem ad manus fuerunt. Illi igitur, cum iam numerus discrepantiarum mirum in modum excreuerit, rectius nobis uidentur sentire, qui solliciti sunt, de numero earum minuendo potius, quam augendo. Neque uero id factum ideo uel maxime necessarium ducimus, quoniam ex ingenti uarietatum multitudine occasionem arripuerunt dubitandi de integritate Scripturae sacrae eiusmodi homines,

mines, qui aut cum Pontificiis, antequam uariantes lectiones tanto numero sunt productae, scripturam deprauationis accusarunt, aut cum irreligiolis deposuerunt dudum cum pietate uerbi diuini reuerentiam atque amorem. Millii enim uerba (u) uerissima sunt, quando congerie, inquit, *uariantium lectionum ingenti, apud uiros cordatos idoneosque huius rei aestimatores non ueniet in suspicionem textus Graecus aut corruptionis aut incertae fidei, ut e contrario, lectionum istarum ope, lector paulo attentior haud difficulter assecutus sit, quis in partibus plerisque omnibus Noui Testamenti fuerit genuinus textus Apostolorum.* Neque etiam illorum probamus conatum, qui acri nimis censura Millium perstringunt, etsi cum etiam laude non omni defraudent, cum uiri docti ac perquam industrii collectio nullo modo integritati scripturae noceat, sed appareat potius, eam saluam esse, cum magnus discrepantiarum numerus nullius momenti esse deprehendatur. Vir certe, immortalis gloria dignus, eiusmodi difficile atque arduum negotium susceperat conficiendum, in quo nisi errore quodam interdum lapsus esset, supra humanam sortem constitutus fuisset. Millius collectis tanto numero uariis lectionibus, insignem praestitit orbi erudito utilitatem, quod maxima diligentia in ea re uersatus est, et exposuit uarietates oculis et iudicio eruditorum, cum res tanti momenti, qualis et collectio et examen uariantium lectionum est, unius uiri iudicio atque arbitrio nec poterat nec debebat relinqui. Illos uero, qui optant, nullas esse, uano atque inani uoto coelum implere iudicamus quique de suppressendis uariantibus lectionibus forsitan adhuc cogitant, illi ab incepto periculi pleno et sacrae ueritati inimico ut desistant aliquando, nec radiantis solis lumini caliginem offundant, ualde opto, quod iudicio Curcellaei, (x) *malum istud, quod animo forsitan concipiunt, dissimulatione non sanabitur.* Hinc cum cel. Kustero (y) statuimus, *non bonum esse, negligere uarias lectiones.* Vel enim, ita concludit uir doctissimus, *uariantes lectiones sunt alicuius momenti uel nullius, si prius, quae inuidia, ne dicam impietas fuerit, pretiosas illas antiquitatis reliquias suppressere, ex quibus uera lectio saepius erui poterit, si posterius, quid cunctantur ea in lucem proferre, unde non solum causae religionis Christianae nullum imminet periculum, sed etiam quae maximum ad stabilien-*

dam

dam eius ueritatem adiuuamentum afferre possunt. Quid enim auctoritatem textus sacri magis confirmare queat, quam mirificus tot Codicum manuscriptorum, uersionum, Patrum, aliorumque scriptorum ueterum consensus, qui (quod ad ipsum textum attinet,) leuiter tantum et exiguo admodum discrimine inter se discrepent?

(p) Auxerunt Millius, Kusterus, & ccl. Pfaffius id optat, (q) huc puto in primis Danielis Whitby examen spectare (r) Stephanus Curcellaeus in Praef. N. T. optandum quidem, inquit, esset, ut nulli lectionis diuersitas in libris Noui Testamenti inueniretur (s) suspectus hic est Theodorus Beza conf. de hac re Baieri Dissert. de usu et abusu uariantium lectionum scripturae Noui Testamenti (t) In Praef. Dissert. p. 4. not. a. (u) Prolegom. p. 143. num. 1337 (x) uid. Curcellaei Praefat. in N. T. (y) in Praef. saepius laudata.

S. V.

Paucis nunc est dicendum quid sit uarians lectio, ubi quidem magnum inuenimus eruditōrum ab se inuicem dissensum. Nos hac parte cum b. Baiero facimus, qui (z) generaliōri descriptione uariam lectionem nominat quamcunque uel leuissimam etiam mutationem in Codice quodam obuiam siue sensum mutet, siue minus. Quam descriptionem non male secuti sunt uariarum lectionum collectores, quoniam iuuabat protulisse in medium omnes textus sacri uarietates, antequam, quae uarians lectio uera sit et retinenda, exponerent. Ea demum, sic se habet, quam subnectit, accuratior, lectio uariantis lectionis nomen meretur, quae ex probatae fidei Codice, antiquo in primis Manuscripto hausta, et sobrio deinceps Critices examini subiecta est, ita, ut cognita sensus aliqua saltem mutatione, per rationes dubitandi uel iustas uel probabiles saltem, lectorem dubium omnino faciat, praesertim cum ea doctrinae aut uitae normam respiciat et attingat, aut ad ueritatem confirmandam, nodosque feliciter expediendos inseruiat. Ad ueram igitur uariantem lectionem haec pertinent, bunt,

a) Consensus antiquitatis, Codices manuscripti hic quidem omne ferunt punctum, sed et illi probe excutiendi sunt atque examinandi. Sunt enim non omnes eadem cura et diligentia, eadem cognitione rerum ac scientia, neque demum eadem integritate et fide a librariis exarati. Et obseruant, ut hoc unum nunc

B

affe

afferamus in medium, viri in his rebus uersatissimi, quorundam Codicum Graecum textum a librariis ad Vulgatam uersionem, quam simul forsan exarauerunt, accommodatum fuisse quod si concedatur, *uarietas isforum Codicum* ut ait Dupinius, *neutiquam censenda est tanquam tot uariantes lectiones Graeci exemplaris, sed solummodo tanquam castigatio, seu potius deprauatio facta ex ista uersione, quae archetypum parum fideliter repraesentabat.* (a) Si quis hic interroget, quantum in hoc negotio Patribus et Uersionibus tribuamus? Dubii sane haeremus, quid respondeamus, quando non uidemus, ubi figamus pedem. Quod nescimus quosnam Codices unusquisque Patrum et Interpretum usurpauerit, an amplius super sint, an uero perierint, non contemnendum duximus plenum Patrum et Uersionum consensum, nec magnam plurium consensionem abiiciendam, sine ullo dissensu, praesertim cum credibile sit, adfuisse Codices, in quibus occurreret lectio, quae excutienda est. Adeoque illas uariantes lectiones, quae in manuscriptis Codicibus non leguntur, in Patribus autem ac uersionibus eo, quo diximus, modo inueniuntur, si cui nimium uideatur ueras appellare, dubias nominauerimus.

β) Ut, postquam examinata fuit, dubium lectori relinquat et speciem ueri habeat, ut dubitet, quam sequatur, quae sit prima sacrorum scriptorum lectio, ut adeo hic manifestas haereticorum deprauationes, apertos librariorum errores, et falsas Patrum citationes, detecta Interpretum uitia excludamus.

γ) Ut sit alicuius momenti. Nam obseruauit quidem celeb. Kusterus (b) ueras uariantes lectiones duplicis generis, alias alicuius, alias nullius momenti, quae posteriores ita sunt comparatae, ut sine dispendio ueritatis sacrae eas rursus omittere queamus, nam nihil interest, utrum hanc sequamur, an illam, ubi neutra infert sententiae mutationem.

δ) Ut uarians lectio sit illorum locorum, de quorum genuina lectione nondum liquido constat. Etsi uero, haec ad uariam lectionem ueram pertinere, statuamus, non tamen, alias uariantes lectiones omnes reiiciendas esse, ducimus, in quibus haec non inueni-

uenimus, quod dantur multae, quas glossematum loco et explanationis causa utiliter retinere possumus.

(z) Conf. Dissert. Cap. I. §. I. p. 6. (a) Daniel Whitby lib. I. Cap. III. Sect. I. p. 15, 16. (b) in Praefat. sua.

## DE

*Causis Variantium Lectionum.*

## §. I.

**P**rimae ac praeae Doctores Ecclesiae, quos ob reuerentiam honorifico Patrum nomine appellamus, allegationibus dictorum scripturae sacrae, colligentibus uariantes lectiones occasionem dedisse, eas insigni cumulo augendi, illi affirmant, qui de causis uarietatum exponunt. Ostenderunt etiam dudum, Patres interdum longius abiisse a uerbis textus, quando eum allegarunt, idque in primis ab eruditissimis uiris Ioanne Croio et Daniele Whitby (c) tam clare atque aperte est propositum, ut, quod hoc non uideat atque animaduertat, ad solem meridianum caligare uideatur. Breuius Patrum in hoc genere, ductum uirorum celeberrimorum secuti, enarrabimus errores, ut pateat, caute admodum et circumspecte ex Patrum scriptis uarias lectiones hauriendas esse. Quod Patres textum scripturae sacrae ob insignem eius notitiam, frequenti lectione piaque meditatione acquiritam, ex memoria saepius allegarint, atque ea de causa errauerint, id quidem cum Croio et Whitby Kusterus (d) Gerhardus van Maffricht (e) b. Rechenbergius (f) Pfaffius, (g) alii, (h) affirmant. Hinc euenit, ut Patres,

I. uoces quasdam, quas memoria tenebant, et ad rerum illustrationem facere credebant, ex aliis locis assumerent.

II. Synonymicas in earum, quae in textu sacro legebantur, locum reponerent,

III. uerbis scripturae quaedam de suo adderent,

IV. aliquando ea, quae uel subaudienda uel ex aliis locis desumenda esse uidebantur, adiciere ad illustrandam scripturam,

V. aliquando plura loca simul iungerent, atque e duobus tribus quatuor aut pluribus locis uerba et sententias ita colligerent, ut unicuique locum constituere atque indicare uiderentur.

VI. aliquando in laudandis scripturae sacrae locis quaedam omitterent, quae uel exciderunt memoria, uel ad rem non fuerunt necessaria,

VII. aliquando uoces, numeros, casus, tempora, modos mutarent, in Homiliis praesertim et Epistolis, ut scripturae sententias ad eos, quos alloquebantur, possent accommodare.

VIII. quaedam loca tanquam ex scriptura sacra referrent, quae tamen in sacro Codice frustra quaeras.

(c) Croius in Obseruat. in N. T. Cap. XVIII. et pluribus. Whitby in Examine lib. I. Cap. I. (d) in Praef. (e) uid. eius Canones Criticos in eiusdem Edit. N. T. (f) in Dissert. de variis N. T. lectionibus Cap. I. §. IX, seqq. (g) Dissert. laudata Cap. I. §. VIII. p. 28, 29. (h) in primis adhuc laudandus est uir summus Daniel Heinsius in Proleg. ad Exerc. sacras ad Nouum Testamentum.

§. II.

Millius ab Oxoniensi Episcopo, Ioanne Fello, monitus, ut tandem operi finem imponeret, et desineret corrogare allegationes Patrum qui quidem ipsas sacras scripturas neglectius, ex memoria, et ad sensum fere, non autem ad exemplarium suorum fidem allegarint, (i) addit, haec enim erat praecipua eius opinio, iuxta cum aliis quibusdam uiris eruditissimis, qui cum apud ueteres loca sacri Codicis, a uulgato nostro textu diuersa haud raro prolata uideant, illico lectionibus ipsorum parum tribuendum arbitrantur. Vir eruditus illos hic carpit, qui sine examine, statim atque inueniunt in scriptis Patrum diuersas a Codicibus lectiones, dicunt, eos neglectius allegasse scripturam. Non enim id negat, quod inde patet, quando de Poly-carpo, (k) ita se habent, inquit istae citationes, ut ex iis nonnullae neglectius paullo, pro more istorum temporum, sint prolatae, idemque de Iustino Martyre (l) atque in primis de Tertulliano fert iudicium. (m) Raro igitur faciunt uariantem lectionem. (n) Nec tamen ideo prorsus eas reiiciendas esse putamus, uidemur enim non aberrare a ueritate, si dicamus posse etiam ex allegationibus Patrum ueras uarian-

variantes lectiones colligi, plures tamen esse in dubiarum numerum referendas. Sic nobis quidem uera lectio uarians ex Patrum scriptis desumpta, illa est, quando allegatio Patrum discedit a manuscriptis quibusdam Codicibus iis in locis, de quibus ex instituto agunt, in quos Homilias uel recitant uel conscribunt, quod probabile est, eos inspexisse Codicem, et recte allegasse, nec inde memoria lapsos esse, et non solum dedisse operam, ut sensum plenum exprimerent, sed uerba etiam, in Codice inuenta sine ulla retinerent mutatione. Quando etiam Patres ipsi uariantes lectiones Codicum manuscriptorum indicant, uti a quibusdam ad Hebr. II, 9. factum est, (o) cur ipsis hac parte non assentiamur, et notemus, uariasse tum temporis lectionem, nullam uidemus causam. Recte prorsus nobis uidetur cel. Kusterus de allegationibus Patrum pronunciasse, qui (p) *in dubiarum uariantium lectionum numerum, inquit, praecipue sunt referendae citationes illae Patrum, de quibus exploratum non est, utrum fide et autoritate Codicis alicuius ueteris nitantur, an uero concepitae sint tantum uerbis, quae memoria forte citantis suggererat. Cautè ergo hic concludendum, ne temere uel pro uariantibus lectionibus habeantur, uel ex earum numero excludantur. Caeteroquin dubium non est, quin Patres antiqui loca sacrae scripturae saepissime ex memoria tantum, nec inspecto textu authentico citauerint, quae de re nobis constare potest, si lectio aliqua uispiam alibi neque in Codicibus manuscriptis, neque in uersionibus ueteribus, neque in ullo alio Patrum uel Scriptorum Ecclesiasticorum, imo ne apud eundem quidem Patrem alibi, ubi idem locus citatur, reperitur. Quod si uero lectio, de qua quaeritur, apud unum quidem et alterum ex Patribus extet, non autem suffragio ullius Codicis manuscripti, uel uersionis ueteris confirmetur, eam inter lectiones uariantes dubias referendam esse censeo. In quo quidem iudicio, ut solidum ac ueritati consentaneum esse ducimus, ita etiam acquiescimus, quod rem praesentem egregie explarat, et dilucide ostendit, quantum Patrum allegationibus in uariantium lectionum collectione sit tribuendum.*

(i) Proleg. p. 163. num. 1478. (k) p. 33. num. 284. (l) p. 37. num. 342. (m) p. 59. 616. (n) conf. Gerhard. van Maastricht in Canon. Crit. Canon. XVII, (o) Millius uid ad h. l. (p) Praefat.

§. III.

Tandem constat, complures Patrum sermones ex tempore habitos fuisse, eosque excepsisse notarios, qui artem celeriter scribendi callebant, & non uerba solum insigniora, sed integras etiam sententias calamo excipiebant, aut dictasse Patres notariis, quod de suis Gregorius Magnus in Prolegomenis fatetur. Illi quidem Patrum sermones ita sunt comparati, ut raro uariantium lectionum queant esse fontes, quoniam et orator facer in recitandis scripturae sacrae uerbis facile errare, et notarius tantam curam diligentiamque eis celeriter excipiendis adhibere non potuit, quanta quidem requirebatur. Non incommode igitur b. Baierus (q) *quis quaeso, inquit, ferret, si qui forte homo scripturae sacrae dicta, pro suggestu sacro allegata sollicitè colligeret, atque acriter deinceps contenderet, praekonem uerbi talem omnino possedisse Codicem, qui ita uerba ipsa habeat, prout ab eo ex memoria fuerant recitata? cum nihil frequentius sit in allegationibus memoriae lapsu, et idem ille temerarius sit, qui conscriplit, si postulet ab aliis, ut firmiter credant, omnia ab se sedulo et diligenter calamo fuisse excepta.*

(q) Dissert. Cap. I. §. VII. p. 14.

§. IV.

Nunc etiam deueniendum est ad haereticos, ex quorum interpolationibus atque impiis corruptionibus multae sunt natae lectionum uarietates, quod uiri eruditi, hac re occupati, haud obscure affirmant. Millius in Prolegomenis non uno loco uidetur negare, haereticos deprauasse scripturam sacram, quod quidem sine solida facit ratione. Nam plena sunt Patrum scripta, qui saepe grauius accusant haereticos deprauationum scripturae sacrae nefarie illatarum, atque fide meliorum Codicum detegunt corruptelas et refutant. Haeretici etiam adeo fuerunt in diuinis literas iniurii, ut eo impietatis progredierentur, et ipsi integros libros, qui falsa continerent dogmata, eorumque mendaciis patrocinentur, componerent. (r) Sufficiat, hic notasse, quod et haeticorum libri perierint plerique omnes, et eorum deprauationes nunquam tam ualidae fuerint, ut uniuersalis inde orta sit omnium Codicum corruptio, prouidentia diuina Scripturas sacras ita custo-



studiente, ut adhuc habeamus purum atque integrum uerbum diuinum. Quam quidem quaestionem hic uberius pertractare non lumus, utpote ab instituto praesenti alienam, & in institutionibus Theologiae dogmaticis, aliisque in libris a Theologis nostratibus diu et feliciter expeditam.

(r) Millius passum in Prolegom. allegat et cel. Fabricius in Codice Apocrypho N. T.

§. V.

Manifestae autem haereticorum deprauationes non merentur elici uariae lectiones, sed abiiciendae sunt ex earum numero, praesensque autoribus in sui perniciem relinquendae. Quod quidem iudicium de illis haereticorum corruptionibus ferimus, quae non nisi in ipsorum Codicibus reperiuntur, et nullo aliorum Codicum, melioris fidei, suffragio nituntur. Huc etiam pertinent deprauationes haereticorum a Patribus detectae, et meliorum fide Codicum, atque analogia totius scripturae ab ipsis refutatae. Hanc uiam enim sunt ingressi in explodendis haereticorum deprauationibus quae de re nunc clara dabimus testimonia.

§. VI.

Epiphanius monet Scripturas incassum ab haereticis fuisse uittatas, quod eae adhuc in Ecclesia orthodoxa saluae et integrae reseruate essent. Sic enim Marcionem alloquitur, licet ea, quae scripta sunt, non ea fide referas, qua saluatore pronuntiata sunt, ἀλλ' ἐν γε σώζονται οἱ τόποι ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τῆς ἀγίας ἐκκλησίας, quae item de Euangelio Lucae detruncasti pudore te afficiant, ἀπὸ τῆ ἀντιγράφας τῆ κατὰ Λεῶναν ἑσαγγελίῳ τῶν τόπων εὐρισκομένων, utque Imperatoris edicta, si qui corrumpere et deprauare contentur, prolata in Archiuis exemplaria fidelissima infanos illos redarguant ἅτως καὶ ἀπὸ τῆ βασιλικῆς οἰκῆς, ταῖς τῆς ἀγίας ἐκκλησίας προσφερόμενοι εὐαγγέλιον ἐλέγχει τὰς ἀφανισὰς τῶν καλῶν ἰνδοματων μείας. Denique πάσης μὲν τόλμης καὶ πονηρίας ὑπόδειγμα ἔστι, τὰ μὲν γεγραμμένα παρακόπτειν, ἀδὲ μὴ γεγραμμένα προστιθέναι, μάστιγα ἐν τῷ εὐαγγελίῳ ἀκαταλύτω ἔντι εἰς τὰς αἰῶνας. (s) Porro nullo modo potuisse Manichaeos, qui iam in manibus essent omnium Codices Christianorum falsare, hoc argumento probat Augustinus, quia

quia mox ut facere coepissetis, vetustiorum exemplarium ueritate conuincere mini. quia igitur, inquit, caussa a uobis corrumpi non possunt, hac caussa a nemine potuerunt. Quisquis enim hoc primitus ausus esset, multorum Codicum antiquiorum auctoritate confutaretur, maxime, quia non una lingua, sed multis eadem Scriptura contineretur. (t)

(s) conf. Whitby Praef. p. IV. et V. (t) idem cod. loco §. IV.

§. VII.

Illis quoque, quae praecedunt, et quae sequuntur in textu sacro, tanquam certissimis argumentis et uerissimis testibus haereticorum audaciam ac perfidiam conuincebant. Vnico Chryso- sthomi exemplo id comprobatum dabimus, qui plura desideret adeat Croium. (u) Ita uero uir sanctus loquitur, *ἐκ ἀρκεί το εἰπεῖν, ἔτι ἐν τῇ γραφῇ γέγραπται, ἀλλὰ χεῖ ἡδὲ τὴν ἀκολυθίαν ἀναγνώ- σαι πᾶσαν, ἔπει εἰ μέλλοιμεν διακόπειν τὴν πρὸς ἄλλα συνέχειαν αὐτῶν ἡδὲ συγγέειαν, πολλὰ ἔτω τεχθήσεται πονηρὰ δόγματα.*

(u) Croius affert uerba ex Homil. I. de uerbis Ieremiae Obseruat. in Nouum Foedus Cap. XIV.

§. VII.

Benignissimum Numen Apostolos, qui Noui Instrumenti Au- tographa conscriberent, diuino excitauit spiritu, et ab erroris pe- riculo liberauit, sed non placuit sapienti eius praudentiae, cum primi sanctorum uirorum Codices periissent, et Apographa usui sacro essent constituta, descriptores eorum ac librarios, aequae ac ipsos autores, ab omni erroris labe seruare immunes. Hinc pro- prii erant in uarios errores, quibus cum a Codicum lectione rece- derent, ab iis etiam inter caussas uariantium lectionum referun- tur, qui de iis explicandis solliciti fuerunt. Veterum autem scri- bae ac librarii non erant unius generis. Erant enim, qui artem celeriter scribendi callebant, et dicebantur ταχυγράφοι, ὅτι γρά- φοντες εἰς τάχους διὸ σημεῖων et latine Notarii, quod notis uteban- tur, quemadmodum εἰ πὸ τῶν σημεῖων etiam σημειογράφοι audiunt. Im- pares quidem sciti tamen atque elegantes Epigrammatum artifices Martialis atque Aufonius lepide de iis canunt. Ille quidem, (x)

Cur-

Currant uerba licet, manus est uelocior illis,  
 Nondum lingua, suum dextra peregit opus.  
 Hic uero ita alloquitur notarium,  
 Tu sensa nostri pectoris,  
 Vix dicta, iam ceris tenes,  
 Tu me loquentem praueenis!

Quae Notarii igitur exceperant celeriori calamo, illa καλλιγράφοι (y) ob elegantiam scribendi ἀπὸ τῆς εἰς κάλλος γράφειν ita dicti, literis elegantiori et nitidiori ductu exprimebant. Obseruaturque ab eruditis hoc scribarum ueterum discrimen, ut alia praetermittamus, ex illustri loco Suidae, sequentem in modum de Origene differentis, ὑπηγόρευσε τοῖς ταχυγράφοις. καὶ οἱ βιβλιογράφοι σὺν γυναιξίν ἔγραφον ἐπὶ καλλιγραφεῖν ἡσκευμέναις. Erant etiam alii, qui scribenti uoce clara indicabant scribenda siue dictabant, alii qui dictata excipiebant calamo, quorum plures saepe ab unius dictantis ore pendebant. In partes hic uoco Eusebium (z) de Origene scribentem, ταχυγράφοι δὲ γὰρ αὐτῷ πλείους ἢ ἐστὶ τῶν ἀριθμὸν παρήσαν τῷ ὑπαγορεύοντι χρόνοις τιταγμένοις ἀλλήλους ἀμειβαντες. βιβλιογράφοι δὲ ἕχ ἥττας ἅμα καὶ κοραῖς ἐπὶ καλλιγραφεῖν ἡσκευμέναις. Eodem modo Hieronymus in uita Hippolyti, Ambrosius cohortatus est Origenem, in scripturas Commentarios scribere, praebens ei septem & eo amplius notarios, et librariorum parem numerum. Alios etiam eruditos, alios contra imperitos omniumque rerum ignaros fuisse, id quidem ex scriptis doctorum uirorum abunde patet, ut necessarium non sit, fusius hic enarrare.

(x) Epigram. lib. XIV. (y) Montfauc. Paleograph. Graec. lib. I. Cap. V. et Wowerius in Polymath. Cap. 17. (z) Hist. Ecclesiast. lib. VI. Cap. XXI.

§. IX.

Non igitur magna afficimur admiratione, quod in tanto scribarum et librariorum discrimine uarii sint orti errores, qui ipsis tribuuntur, uariique etiam dentur modi, quibus ab ipsis erratum fuit. Magnas autem uiris, qui, artis criticae non mediocri imbuti notitia, occasionem errandi, modum, causas, imo etiam ipsos detexerunt errores librariorum, gratias debemus, quod insigne non solum omni eruditioni, sed sacrae etiam ueritati attulerunt ad-

C

iumen-

iumentum. Excusandi tamen etiam sunt librarii, in quorum certe numero multos fuisse viros bonos, nemo dubitat, utpote qui multos etiam errores ex communi hominum uitio atque inuiti commiserunt, potissimum in eo, quando rationem scribendi, in Codicibus ueterum usitatum, non semper sunt assecuti. Notum scilicet est, uetustiorum codicum alios literis, quas uocant, uncialibus et grandi characterere fuisse descriptos, alios uero etiam, (et praesertim cum usus accentuum accederet, quod septimo circiter seculo factum esse Montfauconius scribit (a) ) minore characterere, qui ad eius accedit formam, quo nunc utimur. (b) Vnde, qui minoribus textum literis descriperunt, genuinae lectionis alicubi ignari, permutarunt inter se  $\alpha\upsilon\eta$  et  $\alpha\upsilon\eta$ ,  $\alpha\upsilon\eta$  et  $\alpha\upsilon\eta$ ,  $\alpha\epsilon\varsigma$  et  $\alpha\epsilon\varsigma$  et plura alia, quae passim in scriptis eruditorum occurrunt. Sed maius aderat errandi periculum, dum Codices, maiusculis literis exarati, erant describendi. In maiusculis enim, ut Clericus putat prius gignent errorem  $\Lambda$ ,  $\Delta$ ,  $\Lambda$ , quam in minusculis  $\alpha$ ,  $\delta$ ,  $\lambda$ , et literae  $\Theta$  et  $\Theta$  eodem fere modo possunt confundi. Quod quidem eo facilius potuit euenire in uetustioribus Codicibus, ubi uetustas deleuit literarum ductus, atque aliorum fuit errorum causa. Praeterea non solum parcus admodum, aut nullus erat distinctionum usus, sed inueniebantur etiam notae ac compendia scriptionis, tum in uncialibus, tum in minoribus literis, antiquae aliae, aliae uero a nono seculo maxime a Calligraphis frequenti usu receptae (c) Quae si perpendamus, certe ita statuendum est, multam fuisse librariis errandi occasionem, praesertim, si notas ac compendia scriptionis consideremus.

(a) Lib. III, Cap. I, p. 185. (b) Clericus in Arte Critica Part. III, Sect. I, Cap. IX, p. 115. (c) Montfaucon. Pal. Graec. Lib. V, Cap. I, p. 341, seqq.

§. X.

Placet hic duo proferre exempla, alterum quidem ex Clerico, alterum ex Croio desumptum. Suspiciatur Clericus (d) mendum Aet. VII, 16, ubi Abrahamus dicitur emisse sepulchrum a filiis Emmor patris Sichem, cum a Iacobo ab iis agrum emptum liqueat ex Genes. XXXIII, 19, ex consuetudine librariorum, notas usurpantium, prouenisse. Scripsum fuisse uidetur emtoris nomen, hoc compendio  $\Gamma\Lambda\beta$ , quod erat interpretandum  $\Gamma\alpha\upsilon\delta$ , at exscriptor credidit, esse initium uq-

cis

cis ABPAAM seu deletum esset  $\chi$  lapsu temporis, seu mendose additum iudicauerit. Itaque scripsit Ἀβραάμ, quem in errorem facilius incidit, quod reuera Abrahamus emisisset sepulcrum, sed alibi et ab aliis ut, docet Moser Genes. XXIII. 16. 17. Sic scriptum inuenitur ΙΗΑ pro Ἰσραήλ et plura alia, quae Montfauconius (e) notauit. Quanquam nobis sufficiat, ostendisse hoc exemplo, fieri posse, ut librarii notis scribendi consuetudine incidant in errores, non tamen perdemus operam, si cel Pfaffii (f) iudicium hoc loco addamus, hanc, inquit, opinionem nos quidem celeberrimo auctori relinquimus, quum nimis coniecturis niti uideatur, nec manuscriptus codex, uel uersio antiqua adsit, quae coniecturae huic aliquod praebet fundamentum. Alterum locum Croius affert (g) et quidem 1. Cor. XIV. 19. Notat hic quidem Millius, notarium oscitantem scripsisse pro τῷ νόσ μῆ, τῷ νόμῆ, Croius autem illius erroris causam a nota scriptionis repetit. Suspiciamus, inquit, idque uero est similitimum scripsisse Notarium siue Librarium διὰ τῷ νό μῆ eadem prorsus ratione, qua passim in codicibus scriptis haec occurrunt, πρὸ pro πρὸς πρὸς μὲν pro πρὸς αμὸς, ut plura exhibet Montfauconius (h) Inde postea factum esse credit, legisse alios νόμῆ unica uoce, cum legendum esset νόσ μῆ. Nisi forsitan malis cum quibusdam Marcionis deprauationi adscribere, quod Epiphanius a Croio allegatus obseruat, nos, hanc litem non disceptaturi, ostendimus iterum, notas ac compendia scriptionis posse errorum esse causas. Haec quidem ita fuerunt comparata, ut dictantem possent fallere, cuius mala nec distincta satis pronuntiatio scribenti Librario uel Notario erroris ansam potuit praebere. Ut taceamus, literas unius organi in Graeca etiam lingua facile potuisse misceri, illud magis hoc loco notandum uideatur, quod uocales et diphthongi Graecorum parum sono ab se inuicem differant, ut etiam in scriptione sint confusae, atque in primis  $\alpha$  et  $\epsilon$  librarii sine ullo discrimine scripserint, (i) unde ὁμοφωνία uocum decepti Notarii uoces longe aliter, quam oportebat, descripserunt. (k)

(d) Art. Crit. Part. III. Sect. I. Cap. XII. p. 167. (e) Pal. Graec. lib. V. Cap. I. (f) Dissert. Cap. VIII. p. 143. (g) Obseruat. in N. T. Cap. XXVI. (h) lib. V. Cap. I. p. 343. (i) Kusterus in Praef. (k) Rechenberg. Dissert. c. 4ap. I. §. VI. p. 37.

## §. XI.

Non tamen haec ea sententia protulimus, ac si omni ex parte excusandos putemus Librarios, cum dentur etiam errores, ab ipsis commissi, qui reprehensione sunt digni. Sic turpe lucrum quando eos impulit, ut uitiatam relinquerent scripturam, ne delendo eam macularent, id quidem graui est excipiendum uituperatione, quod diuinas literas, a quibus salus hominum dependet, neglectius dederint exaratas. Grauius igitur hac de causa illos uituperat Muretus (1) dum solebant homines, inquit, imperiti, qui a uorum aut proauorum nostrorum temporibus uictum sibi describendis libris, quaeritabant, quae perperam scripserant. non delere, ne libros suos, multis lituris deformatos, minus uendibiles redderent, iterumque totas paginas describere cogentur, sed iis ut erant, omisis, caetera persequi, atque ea res innumerablem errorum copiam in omne scriptorum genus inuexit. Adeo multa sunt librariorum uitia, acri censura notanda, quae ex incuria, ignorantia, audacia, festinatione, aliisque causis pluribus prouenerunt. Non possumus non, quin hic in primis notemus doctiorum audaciam, qui, ut uel unius Glassii auctoritatem hic sequamur (m)

α) Transcripserunt ex locis parallelis, quae uidebantur eo, quem describebant, loco desse, imo etiam ex iis, quae ad marginem notauerat lector, et magnam hinc prouenisse uariarum lectionum copiam exemplis confirmat β. Saubertus (n)

β) Exposuerunt textum uel per uocem eandem, ἐπιφαινωμένης expressam, uel per uoces diuersas.

γ) Correxerunt textum ad normam uersionis Latinae, atque ad difficultatis euitacionem.

(1) Variant. Lect. lib. XV. Cap. IX. (m) Phil. Saera lib. I. traçt. II. de textus Graeci in N. T. integritate Part I. membre. II. p. m. 184. (n) in Prolegom. ad uariantes lectiones Euangelii Matthaei p. 2. seqq.

## §. XII.

Nos in praesenti longiori sermone errorum, in quos incidunt librarii, causas, modosque commemorare nolumus, quoniam id factum est a uiris doctissimis, (o) in eo potius inquirendo collocabimus operam, num faciant uariantem lectionem, et in

quantum additiones et omissiones librariorum, et reliqui errores in numerum variarum lectionum referri debeant. Doctissimus Whitby non illae, inquit, *variantes lectiones merito dicendae sunt, quae ex oscitantia, incuria, infcitia aut ignorantia scriptoris uel librarii eueniunt. Eadem enim opera, quae in Bibliis Anglicanis menda occurrunt typographica, pro uariis lectionibus habeantur, uix tamen caput occurrat, in quo non aliquid huius generis reperiat.* (p) Illae igitur uariationes textus, a Librariis ortae, quae speciem ueri habent, ut, si cum aliis lectionibus conferas, ratio dubitandi adfit, quae sit uera ac genuina, mihi quidem uidentur inter uariantes lectiones commemorandae, praecipue, si plurium Codicum ostendi queat eunsensus, quod probabile non est, toties in uno loco a descriptoribus fuisse erratum. At uero, si constet e contrario idoneis argumentis, esse errores scribarum, quae antea in numero uariantium lectionum erant, sunt reiiciendi, manifestae enim textus sunt mutationes, praecipue in uno tantum uel paucis Codicibus, non uariae lectiones, quod nullum adest dubium, quae sit prima, et a Spiritu sancto profecta lectio. Hic tamen negandum non est, ingentem uarietatum cumulum ex hoc fonte hausisse colligentes, quod quidem recte factum ab iis fuit, dum, si propositum adest, colligendi lectionum discrepantias, uel minutissimae etiam in numerum uariantium lectionum sunt ponendae, donec uidemus, eas nomen variarum lectionum non tueri. Nunc uero, ut rem dilucidius exponamus, quosdam errores librariorum proferemus, de quibus statuiimus, illos non facere uariam lectionem.

a) quando descriptores uocem consequentem antecedenti praeposuerunt, quam postea, ne decor libri periret, delere nolebant, euenit inde quaedam uocum traiection, quae uariantem lectionem sano sensu non facit, dum leuissima eiusmodi mutatio, nec uerba mutat nec, nisi forsan integra misceantur commata, sensum

b) quando peccarunt in mutandis aut omittendis literis, praefertim unius organi, aut syllabis sono conuenientibus, id non pro uariante lectione est habendum, sedtribuendum negligentiae descriptoris

c) quando omiserunt, addiderunt, uariauerunt particulas pronomina, aduerbia, praepositiones, id quidem non facit uariam lectionem.

d) quando uoces, quas censebant esse superfluas, aut non necessarias, compendii causa omiserunt, praesertim, quando sensum non mutabant aut turbabant.

e) quando distinctiones diuersimode posuerunt, id non facit uariantem lectionem, quoniam in antiquis codicibus saepe desunt. (q)

f) nequerecete, iudicante summo uiro, Ludolpho Kustero (q) uariantium lectionum numerum augent illae uoces, quae diuersa tantum ratione scribendi, quarum utramque apud ueteres Librarios receptam usuisse constat, inter se discrepant, manente eadem prorsus significatione uocis, u. c.  $\epsilon\gamma\eta\nu$  pro  $\epsilon\iota\gamma\eta\nu$  uel pro  $\epsilon\gamma$  et infinita alia huius generis, quae in libris manuscriptorum crebro occurrunt  $\tau\omega$  pro  $\epsilon\iota$  uel  $\epsilon$  pro  $\epsilon\iota$  et uice uersa promiscue positae, et post allata huius rei exempla pergit Kusterus, secus est, si capiosa illa scribendi ratio loci alicuius sententiam reddat ancipitem, ut dubitari merito possit, uira lectio alicui praeferenda sit.

(o) a Glassio in Phil. sacra, Sauberto in Prolegom. ad Variantes Lectiones Matthaei Rechenbergio in Dissert. Pfaffio in Dissert. et Gerardo uan Mastrichte in Canonibus Criticis editioni N. T. quam dedit praemisit. (p) Whitby Partit. Op. p. XI. (q) Gerhardus uan Mastrichte Canon. IV. VI. VII. XXVI. XXXII. et alii (r) in laudata saepius Praefatione.

### §. XIII.

Qui ab arte et consuetudine emendandi diiudicandique libros Criticorum nomine salutantur, multas uariantes lectionum produxisse eos, Pfaffius iudicat. (s) Nos adeo, propositi tenaces, pergentes nunc in eruendis atque explanandis uariarum lectionum causis, Criticos etiam diuersarum lectionum auxisse numerum arbitramur. Sunt tamen conatus Criticorum diuersissimi, aliis pie prudenter, docte negotium & sacram ueritatem tractantibus, aliis contra imperite, malitiose, audacter quasi omnem exuissent dudum uere,



uerecundiam. Ut adeo probe sit attendendum, quibus limitibus Critici, ad Nouum Testamentum accedentes, sint circumscripti, ex quibus postea decernamus, quomodo Criticus partium suarum fategerit. Hic quidem concedimus, Criticos habere libertatem aliquam in iis emendandis et mutandis, quae non a prima origine textui Graeco Noui Foederis adfuere, accentibus nempe et spiritibus, interpunctionibus atque in capita et cola diuisionibus. Ita, non reprehendendum esse Danielem Heinsium, (t) existimo, a cuius opinione Clericus (u) non omnino discedit, quod uir doctus, sola accentus et spiritus uariatione Marc. XI, 13. pro recepta lectione  $\gamma$  non ponit  $\delta$ , ubi, quae tamen sententia Millio (x) non placet. Pfaffius haec lectio, inquit, est nimis subtilis. Ex quo illi concludo, non esse assumendam. Emendationes enim misfacile suant, et ad oculos ferre queant demonstrari, iure meritoque sunt suspectae. (y) Ita etiam existimamus, nec esse in uariantium numerum lectionum recipiendas eiusmodi emendationes, nec prorsus abiiciendas et contemnendas. Quod interpunctionem spectat, uel maxime hic locum meretur illa mutatio distinctionis in illustri loco I. Tim. III, 15. 16. ubi Clericus (z) post alios iudicat, post  $\text{ἐκ τῆς ἐκκλησίας}$  debere esse  $\text{ἐκκλησίαν τοῦ κυρίου}$  hoc modo, quae est Ecclesia Dei uiri. Columna et Firmamentum ueritatis, et manifesto etc. ita ut summa Euangelicae doctrinae, quae sequitur, dicatur esse columna etc. non Ecclesia. Verba  $\text{διὰ τῆς ἐκκλησίας}$  incipiunt comma Ioan. VII, 22. quae post Theophylactum, Casaubonum, Henricum Stephanum Nortii Knachtbullus ad hunc locum ad uersum praecedentem refert, ut integra sententia ita se habeat,  $\text{ὅτι πάντες θουμάζετε διὰ τῆς ἐκκλησίας}$ . Loquendi uero formae,  $\text{θουμάζετε διὰ τῆς ἐκκλησίας}$  exemplum inuenitur in Aeliano (a) qui dicit  $\text{θουμάζετε διὰ τῆς ἐκκλησίας}$ , quod eo fine afferimus, si quis forte cum Erasmo Schmidio dubitet, dari huius dicendi rationis exemplum.

(s) Dissert. Cap. X. (t) in Exercit. sacris Lib. II, in Euangel. Marci Cap. VI. (u) Art. Crit. Part. III. Sect. I, Cap. X, p. 142. (x) Proleg. p. 138. num. 1305. (y) Dissert. Cap. XII. p. 211. (z) Art. Crit. Part. III. Sect. I. Cap. X. p. 136. (a) Variar. Histor. Lib. XII. Cap. VI.

#### §. XIV.

Cumque dentur in textus sacri quibusdam exemplaribus lectiones

etiones, quae non sunt ab ipso Spiritu sancto profectae, sed uel librariorum incuriae atque ignorantiae, uel haereticorum fraudi et perfidiae tribuendae, certe non uidemus causam cur Criticis facultatem omnem denegemus et potentiam, curas suas et cogitationes ad emendationem eiusmodi locorum conuertendi. Illud tantum hic praemonendum est, ne, eruditionis profanae gloria turgidi, maiori doctrinae apparatu, quam pietatis amore, negotium hoc suscipiant, pro lubitu, quae ipsis non arrident, corrigant, salua atque integra dicta minus dextre castigent, uel tandem *υπερδυσσεως* defendendae causa Scripturam sacram pessime deprauent. Frenis hic et modestia est opus, obseruetur analogia totius scripturae et fidei, conferantur Codices probatiores, ita etiam antiquissimis uersionibus et Patrum auctoritati aliquid tribuatur.

§. XV.

Latus hic aperitur nobis campus, disserendi de audacia Criticorum, et summo eruditionis abusu, qui nunc nacti sumus idoneam occasionem, multorum Criticorum perlustrandi conatus, qui tamen in multos etiam errores procliuos fuerunt. Breuitatis autem studio cum teneamur, ne prorsus uideamur iniurii fuisse in uiros bonos atque integros, duo tantum malae *υπερδυσσεως* exempla in medium afferemus. Danieli Heinio Marc. X, 30. (b) consideranti, mirum esse uidetur uiris eruditis atque interpretibus, qui ad Codices ueteres a lectione dubia nunquam confugiunt, in mentem non uenisse, difficultatem loci tolli posse, si literulae mutatione *υπερδυσσεως* legatur. *Ut Christus benedictionem suam *υπερδυσσεως* hoc est post persecutionem promittat, quae benedictionem antecedit, ac si dicat, qui in persecutione uel domum, uel fratres, uel sorores, uel matres, liberos aut agros amisissus est, post persecutionem benedictionem meam, quae haec et similia cum foenere restituet, abunde sentiet et consequetur.* Sed humani aliquid hic passus est uir eruditissimus, quaerit enim

a) Difficultatem, ubi nulla est. Nam non inepte, ut opinatur, ex hoc loco probatur persecutionem necessitas, cum pateat ex sacris literis, omnem uitam illorum, qui ueri sunt Christi se-

ctato.

Statores atque amici, plenam fore dolorum, perpetuam fore gaudiorum et queresarum uicissitudinem, adeoque recepta lectio *μετὰ διωγμῶν* conuenit analogiae scripturae totius.

β) Nec necesse est, ut benedictio persecutionem sequatur, dum in mediis cruciatibus sentiunt Christi cultores gratiae eius dulcedinem atque ubertatem, multisque afficiuntur ab ipso donis, quae uel temporalia sunt uel spiritualia, unde in mediis calamitatibus exultant laetitia, Deumque collaudant.

γ) Finxit quidem Heinsius difficultatem, quam tamen non tollit, si enim legamus *μετὰ διωγμῶν* repugnabunt uerba *ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ* et omnis *συνάφεια* textus sacri.

δ) Duplex est benedictio diuina, quod ex commate hoc clare patet, alia huius uitae, alia futurae, priorem euerit Heinsii lectio *μετὰ διωγμῶν*.

ε) Mutatio illa Heinsii fit sine consensu Codicum et antiquitatis, quem ad uariam lectionem ueram requiri, sup a ostendimus. Mera etiam, quod fatetur, coniectura nititur Tanaquillus Faber (c) quando pro *ἐκοθρομηθήσεται* scriptum fuisse a Paulo I. Cor. VIII, 10. *ἐδοπονηθήσεται* existimat.

(b) in Exercit. sacris ad Marcum lib. II. Cap. VI, p. 116. (c) Epist. Vol. II. Epist. XXI.

#### §. XV.

De his aliisque Criticorum mutationibus, quae uel accentus et interpunctionem respiciunt, uel textum sacrum, qualis a prima fuit origine, propius attingunt, ita pronunciamus, eas non mereri uariantium lectionum nomen, si nullo nitantur antiquitatis consensu, id quod praecipue ad ueram lectionem uariam requiri, persuasissimi sumus. Neque enim fidem merentur illi, qui uniuersalem omnium Codicum corruptionem defendunt, neque illi qui negant, prouidentiam diuinam ita inuigilasse scripturae sacrae, ut inter uariantes lectiones uera remanserit. Rem hic prorsus confi-

ciunt

Ciunt aurea Danielis Whitby (d) uerba, qui, *quanquam*, inquit, *id certum esse fateor*, non ita diuinam prouidentiam sacris scripturis inuigilasse, ut nulla in eas menda irrepserint, est tamen rationi consonum, existimare, eum, qui sacras scripturas pro sola Ecclesiae regula per omnia secula instituerit, ita huic regulas prospexisse, ut fini suo obtinendo nunquam impar esset aut inhabilis. Nec enim, infinita sapientia consilio suo ita cadere unquam potest, nec bonitas summa, nedum iustitia exigere, ut uitam suam ad eam normam, sub poena grauisima componerent Christiani, quae huic officio praestando. ob corruptelas si admissas sit minus idonea.

(d) Praef. §. 1.

§. XVI.

Neque silentio hic praeterire possumus, *ἀναγνώματα* siue lectionaria ueterum uariantibus etiam lectionibus originem dedisse. Si quis desideret uberiolem de lectionariis et lectoribus, qui Graeca uoce *ἀναγνώται* dicebantur, notitiam, ille Suicerum (e) adeat, cum nobis non liceat hic esse uerbosus, qui breuitatem amamus. Milium ex iis hausisse textus sacri uarietates dubio caret, quod illud ipse confitetur (f) et lectionaria etiam indicat, quae in suos usus conuerterit. In illis enim, ut sensus ratio plena esset ac perfecta pro *ἀυτοῖς ἰσοῦς* saepius fuit positum, et similia multa adiecta aut immutata sunt. Particulae, *δέ, γὰρ, ὅν*, in orationis initio sunt omittae, immutatis etiam passim pronominibus relatiuis, quae omnia textui tandem inserta uariantem lectionem conficiebant. Quae quidem nobis uerarum uarietatum rationem implere non uidentur, dum causa patet, unde sua sponte desinunt esse uariae lectiones. Magno erant apud ueteres in honore atque in perpetuo usu subinde recurrebatur ad Euangelistaria, tanquam Canonem certissimum et uerae lectionis normam. Ipsi illis multum tribuimus autoritatis, quoniam sine dubio descripta sunt ab antiquissimis et accuratissimis Codicibus, idque maxima etiam cura et diligentia, et, si quid forte erat in illis perperam scriptum, emendatum illud studiose fuisse credimus, quae omnia inde colligimus, quoniam usibus publicis consecrabantur.

(e) in Thesaur. Ecclesiastico (f) Prolegom. p. 156. num. 1426. 1427. 1428. §. XVII.

Commodum hic fortiuntur locum collationes ueterum priuatae, quae etiam uariarum lectionum fontes appellari possunt. Inuat hic audire, ut omnia in compendium mittamus, cel. editorem (g) Noui Testamenti, qui sequentem in modum differit, Homonymiis et redundantibus ansam subinde praebuere collationes priuatae, et deinceps magis solennes Harmoniae Evangelicae, pio et utili studio circa tertium seculum a Tatiano primum, dein Eusebio adornatae, unde cognatae uoces, in margine primum adscriptae, exinde in textum admittebantur. Hac de re pridem querelam instituit D. Hieronymus (h) Magnus hic in nostris Codicibus error inoleuit, dum quod in eadem re alius Euangelista plus dixit, in alio, quia minus putauerint, addiderunt. Vel dum eundem sensum alius aliter expressit, ille, qui unum e quatuor primum legerat, ad eius exemplum caeteros quoque existimauerit emendandos. Unde accidit, ut apud nos mixta sint omnia, et in Marco plura Lucae atque Matthaei, rursus in Matthaeo plura Ioannis et Marci, et in caeteris reliquorum, quae aliis propria sunt, inueniantur. (i)

(g) quod Oxonii prodiit M D LXXV. in Praef. (h) Praef. ad IV. Euang. ad Damasum. (i) Dissert. Cap. I. §. XVII. p. 45. sq. Vbi tamen miramur Rechenbergium quoque in Dissert. circa tertium seculum Tatianum uixisse, scribere, et in Hist. Eccl. Summario p. 49. Tatianum inter scriptores seculi numeri, et p. 61. illum Harmoniam Euangelistarum adornasse, conf. etiam Pritius in Introduct. ad lectionem N. T. Cap. XV. §. II. p. 98. In not. (\*)

§. XVIII.

Gladius et Rechenbergius defectum Masorae quoque, inter causas uariantium lectionum referunt. Sed recte consentit Rechenbergius cum Gladio, qui defectum Masorae *causam tantum genericam*, appellauit. (k) Nos iterum hic uidemur operae pretium facere si saepius laudati editoris Noui Testamenti sententiam exhibeamus, cuius uerba etiam cel. Maius (l) in rem suam uertit

quae ita fluunt. (m) Nec tamen praetereundum, quod Masorae cuiusdam et sepimenti Euangelicae legis suppleuerant, uices, frequentes sacri textus in omnes fere linguas uersiones, quae quidem in terris toto coelis diffitis ab inuicem, in linguis nimium quantum dissonantibus, ab hominibus diuersissimi instituti elaboratae, omnes felicissima harmonia in plerisque, imo in momentis fidei omnibus, conspiciant, qua de re Chrysothomum audiuisse non pigebit (n) *καὶ πρὸς Ἰνδοὺς ἀπέλθης, ἐς πρώτας ἀνάγκων ὁ ἥλιος ὄρεται, καὶ τὸν ἄκεαινον ἀπέλθης, καὶ πρὸς τὰς Βρετανικὰς νήσους ἐκεῖνας, καὶ εἰς τὸν Εὐξείνου πλῆυσης πόντον, καὶ πρὸς τὰ νότια ἀπέλθης μέση, πάντων ἀνάση πανταχῶ ἀπὸ τῆς γραφῆς Φιλοσοφόντων, Φωνῆ μὲν ἴσηρα, πίσει δὲ ἕχ ἑτέρα, καὶ γλώσση μὲν διαφέρει, διανοία δὲ συμφώει.*

(k) Phil. sacrae lib. I. Tract. II. Part. I. Membr. II. p. 183. Dissert. Cap. I. §. XVIII. p. 46. (l) in Repet. Exam. Hist. Crit. textus N. T. Cap. XXIX. §. VIII. p. 390. (m) conf. Praef. N. T. Oxoniensis M DC LXXV. (n) hic locus extat in laudata Praef. defuntus ex Tom. VIII. Edit. Sguil. p. 111.

§. XIX.

Qui uel inspicit oculisque perlustrat uariantes lectiones a Millio collectas, ille statim fatebitur, eum multas ex uersionibus Noui Testamenti conguessisse, ut adeo illae etiam inter causas uariantium lectionum locum inueniant. Talem autem Canonem Gerhardus uan Mastricht hac de re constituit. (o) Uersiones etiam antiquissimae ab editis et Manuscriptis differentes, uti nec impressi libri faciunt uariantem lectionem, sed magis ostendunt oscitantiam interpretis, aut corruptionem exemplaris, quo usus fuit. Eum certe autoritatis gradum non assequuntur, quem manuscripti Codices tenent, quod multae adsunt rationes, quae ostendunt, nos de Interpretis fide ac diligentia non posse esse adeo securus. Etfi enim concedamus uersiones antiquissimas, Italicam in primis et Syriacam, ut obseruant eruditi, ex antiquissimis probatissimisque Codicibus fuisse expressas, uariis tamen etiam de causis a fontibus differunt. Illi enim, qui interpretum partes suscipiunt, curam agunt, ut locis obscurioribus lucem afferant, et eiusmodi

modi condant uersiones, quae a suae linguae genio non nimium discedant. Nam alias, si uoces uocibus exprimant, uersio fit le- gentibus obscura, interdum etiam insulsa. Hinc fieri uidemus, quod in alio nomina numero, in alio uerba tempore, modo at- que etiam persona collocentur. Voces etiam transponuntur, ob- propriam cuique linguae componendi rationem et ordinem, ad- duntur quaedam atque omittuntur, imò etiam ita informantur uersiones ab iis, quorum manibus teruntur, ne suis opinionibus officiant, sed receptis potius inseruiant.

Bene monet Clericus, (p) *cauendum esse, I) ne coniecturas inter- pretum, de sensu aut lectione locorum, uarietate lectionis niti putemus. Passim sensum exprimunt coniectendo, exiguamque uerborum rationem ha- bent, nec proinde semper colligere possumus, eos aliter legisse, quam nos, quia aliter uertunt.*

II) *Ne uarias lectiones hauriamus ex locis, in quibus potius sensum, quam uerba, exprimere uoluerunt, hoc est, ex locis potissimum difficilio- ribus. At ubi uerba totidem uerbis reddita sunt, et aliquid omittitur aut additur, recte iudicant eruditi, aliquid amplius aut minus fuisse in interpretum Codicibus.* (q) Nos perillimum in sententia, quam in Prooemio sumus amplexi, uersionum scilicet omnium consensum non contemnendum esse, nec abiiciendam plurimum consensionem, sine ullo dissensu, libero lectoris beneuoli iudicio permittentes, num ueras uelit, an dubias nominare uariantes eiusmodi lectio- nes. Reliqua, quae utilitatem afferunt in explananda scriptura, et uindictanda ab aduersariorum corruptelis, et peruerso explican- do modo, ab uno tantum uel paucis interpretibus allata, glossema- tum loco habemus.

(o) Canon. XIV. (p) Art. Crit. Part. III. Sect. I. Cap. XVII. p. 294. seq. (q) l. c. p. 297.

§. XX.

Iam monuimus ex impressis Codicibus non esse depromendas uarias lectiones, multo igitur magis *ridiculum est, errata typographi- ca pro uariantibus lectionibus obtrudere uelle, (r) quae sobria Gerhardi uan Maffricht sententia est.* Cum quo, quod in hoc negotio solidò

usus est iudicio, lubenter consentimus, nec concedimus impressos Codices tantae dignitatis esse, ac manuscripti. Ille tamen etiam cum quibusdam aliis nominatim Roberto Stephano et Ioanne Millio, (s) *Complutensem editionem Noui Testamenti MDXIV. ualde exactam, et ad uaria Manuscripta, etiam charactere ad antiquum scripturae Manuscriptorum modum expressam nominat, additque (t) eam fere tantae fidei esse, ac codex manuscriptus, quare et Oxoniensem editionem MDCLXXV. eius uariantes lectiones exhibere.* Sed quamuis iudicio tantorum nominum inducti, facile credamus, Complutensem illam editionem Noui Testamenti longe accuratissimam esse, non tamen inducimur, ut putemus, eam codici cuidam manuscripto, antiquo praesertim et probatae fidei, aequiparandam, nedum praefendam esse. Simonius enim (u) ex Pontificiis, forsan non sine fundamentis, *mibi quidem, inquit, dubitationis nihil est, quin Cardinalis Ximenius, Complutensem editionem paraturus, quam plurimos Codices, eximiae uetustatis et spectatae fidei, corrogauerit, suspectum tamen habeo, illam aliquando reliquis antelatum esse lectionem, quae uulgato cum interprete maxime concordat.*

(r) in not. ad Steph. Curellaei Praef. p. 72. (s) Prolegom. p. 108. seqq. p. 117. num. 1159. dicit, Stephanum Complutensem, *Col cum istorum mendaciam, et quasi Apographum, prae aliis editionibus magni fuisse* (t) Canon. XIV. cf. Prolegom. p. 37. (u) exhibet uerba ita translata Whitby lib. I. Cap. III. p. 15.

### §. XXI.

Varii generis causas uariarum lectionum nunc enarrauimus, sed ita tamen comparatas, ut, quamuis sint nonnullae etiam reiciendae, integritas tamen et fides nullius in dubium uocetur, qui in colligendis uarietatibus eos sequatur, sed illi prorsus turpiter se dederunt, qui finxerunt uariantes lectiones, et coniecturis suis in re tanta indulserunt. Nos quidem iam Criticorum quasdam excussimus coniecturas, sed, cum uarii sint generis uiri, qui hic ab aliis accusantur, uisum fuit, proprium illis locum assignare. Priscos haereticos imo etiam Patres ipsos ad coniecturas aliquando confugisse Croius (x) notauit,



notauit, ad ductis etiam hanc in rem exemplis. Multi postea, qui arti Criticae se dederunt, coniecturas sunt secuti. Clericus, qui ipse figmentis ingenii mirum quantum sibi interdum plaudit, Velefium accusat (y) fictarum lectionum, dum dicit. *Suspecti quoque debent esse ii Codices, si qui sint, qui certum in finem laudantur a uiris, de quorum fide non satis constat, praesertim si sint manifesta deprauationis indicia.* Dicitur Petrus Fagiarus Velefius, Marchio Hispanus, contulisse sex decim Codices Graecos, quorum octo aiunt fuisse in Bibliotheca S. Laurentii, in Hispania. Illi autem ita consentiunt cum Vulgata uersione Latina, ut in omnibus locis, in quibus a ceteris Codicibus recedit, ei adstipulentur, imo uero habeant addita uerba quaedam, quae uidentur ex Latinis uersa. Sic Apoc IX. 11. habet Vulgata, habebant supra se Regem, Angelum abyssi, cui nomen Hebraice Abaddon, Graece autem Apollyon, quae leguntur in omnibus Graecis Codicibus, sed, in Latinorum gratiam, addidit, Latine habens nomen exterminans, quae uersa sunt Graece, *πρωτασι ἐχθον ὄνομα ἐξέρειμαυος*, si fuerint unquam in rerum natura eiusmodi Manuscripti, fuerunt ad Vulgatam uersionem refecti, sed uero similem est hominem Hispanum, Latinae uersionis causa, finxisse eas uarias lectiones, quae nusquam erant, cum nemo, praeter illum, eos Codices uideri potuerit.

(x) Croius Cap. XVI. p. 121. (y) Art. Crit. Part. III. Sect. I. Cap. XVII. 292.

§. XXII

Quae hactenus ex Clerico commemorauimus, ea fusius exponit Gerhardus uan Mastricht (z) qui Stephanum Curcellaeum eiusmodi criminis reum agit, quod primus collegerit ex editis et Manuscriptis, etiam ex coniecturis lectiones, quod lectiones ex coniectura immiserit. Defendit Curcellaeum Pfaffius, (a) alii tamen, in quorum numero est b. Baierus (b) non desinunt eum huius uitii accusare, qui, ut illud lectori persuadeat, uerba ipsius Curcellaei (c) affert, dum ille, intermiscui nonnullas, inquit, *Henrici Stephani, aliorumque emendationes ex coniectura.* Sed, ut dicamus, quod nobis u detur, quamquam litem hanc disceptare nolumus, in eo abimus a b. Baieri sententia, quod ille ex uerbis Curcellaei colligit, merito eum reprehendi ob

ob fictas lectiones. Nam illa uerba intelligimus non t m de Curcellaei coniecturis, quam dealiorum, quas ipse addiderat. Curcellaeum tamen approbasse coniecturas, id quidem ueritati non repugnat, quando de eiusmodi emendationibus ex coniectura ipse ait, (d) *quasdam correctiones se tanta probabilitate commendare, ut absque ueritatis iniuria sperni non posse uideantur*, confidentius adhuc Pfaffius (e) de eiusdem coniectura loquitur, *quam nemo sapiens temere reiecerit*. Quicquid hic sentiant Curcellaeus et Pfaffius, nos coniecturas ex uerarum numero uariantium lectionum prorsus excludimus, et, si illis magnum statuamus pretium, tantum illis tribuimus, ut suadeamus, notandas illas esse, non ut uariantes lectiones sed ut coniecturas.

(z) Proleg. p. 38. (a) Dissert. Cap. VII. §. II. p. 122. (b) Dissert. Cap. I. §. V. p. 10. (c) ex Praef. eius in N. T. (d) loco citato (e) Dissert. p. 122. in not. subiecta-

§. XXIII.

Ad ultimum oramus lectorem, ut in hoc qualicumque conatu nostro beneuole acquiescat, et exempla, in libris allegatis passim obuia, si eorum desiderio flagret, sibi ipse eligat. Nobis, ne longiores, quam debebamus, essemus, non licuit, ea adiacere, quanquam animus induxeramus, nihil sine exemplo in medium proferre. Neque hic pietatis in immortalem Deum obliuiscimur, sed ei potius pia mente grates persoluimus, quod uerbum suum purum conseruauerit adhuc atque integrum, eumque hoc in primis tempore ardentissimis precibus oramus atque obtestamur, ut insigni hoc beneficio nunquam nos priuet, cuius etiam nomen pro praestito nobis in hoc labore auxilio, demisso pectore celebramus.

101 ) o ( 10

99  
92

~~17. F. 1. 1. 1. 1.~~

AB: 101940




Nr. 76 = Handschrift Sb.

17 17

Reha ✓







28

Q. D. B. V.  
D E  
CAVSSIS  
VARIANTIVM LE-  
CTIONVM SCRIPTVRAE S.  
NOVI TESTAMENTI

AMPLISSIMI SAPIENTVM ORDINIS  
CONSENSV,  
DISPVTABVNT  
PRAESES

M. CHRISTIANVS *Süder*

REV. MIN. CAND.

E T

RESPONDENS

DANIEL GOTTLÖB MÜLLERVS

S. S. TH. STVD.

CHEMNITIO-MISNICI.

---

AD DIEM XXI. IVNII MDCC XXX

---

LIPSIAE,  
LITERIS TAKKIANIS.

35